



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciaae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Hildvardvs. Teneramondae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

HILDEBERTVS ABBASET MARTYR  
*Gandavi.*

1. Octo.

**A**Mandus Traiecti ad Mosam Episcopus, vir apostolicus in Ecclesia Gandensi quam opibus præcipue B. Bauonis fundauerat, non Monachos initio, sed clericos sæculares simul viuentes constituit. Cùm autem illi à primæua sua sanctimonia degenerare, ac licentius viuere inciperent, amotis illis Monachos ibidem Ordinis S. Benedicti collocauit, dato illis Abbate Florberto raræ pietatis viro, qui primus vtriusque simul Monasterij D. Petri Gandensis & Blandiniensis curam & administrationem gessit. Sic constituta Ecclesia magnos sensim in virtute puræque religionis cultu & obseruatione profectus fecit. Adeoque abundare etiam cepit viris doctrinæ ac religionis laude præstantibus, & cùm anno Christi 752. Gandavi ciuilis motus propter Sanctorum imagines excitatus esset, multi que eas tamquam idololatriæ instrumenta, è templis eijciendas clamarent, Hildebertus VIII. Abbas Gandensis, fautoribus impiissimi Cæsaris Constantini cognomento Copronymi, fortiter sese opponeret, piusque imaginum cultum aduersus hæreticos, non modo verbis eruditissimis, sed sanguinis etiam ac profusione vitæ confirmaret. Quamobrem & inter beatos Martyres haud immeritò relatus esse creditur.

## H I L D V A R D V S.

*Teneramonda.*

29. Dec.

**E**St in ea Flandriæ vrbe insigne Canonicorum beatæ Mariæ Collegium, quod anno 1106. Ringotus Caluus



uus à Gandauo, opidi Dominus fundauit, Adelwidis eius vidua pòst auxit, & Odardus Cameracensis Episcopus anno 1118. confirmauit. In hoc templo ossa sancti Hilduardi Episcopi & Christiane Virginis à multis retro sæculis adseruantur. Hilduardum sunt qui scribunt Tullensem Episcopum fuisse. In tabulis tamen Episcoporum Tullensium, quas Ioannes Chenutius cum reliquis Galliae anno 1621. Parisijs edidit, nomen eius non inuenitur. Obijt autem circa annum 750. Dickeluennæ teste Meyero, inde sauientibus Normannis Teneramondam sub annum 846. translatus.

## HILLONIVS

*Patronius Iseghemij.*

**F**Vit is primùm S. Eligij Nouiomensis ac Tornacensis Episcopi minister & discipulus, vt cõstat ex Audoeno vitæ S. Eligij scriptore apud Suriũ. Pòst Abbas factus Solleniaci in territorio Lemouicensi in Gallia, ibidẽ nonagenarius in Domino obdormiuit Iseghemij qui pagus est diocesis Tornacensis in Flandria, Comitatus titulo à Philippo II. Rege Catholico in Maxæmiliano villam à Gandauo decoratus, vicinis quoque in locis colitur vt Apostolus ac patronus exstat ibidem vitæ eius historia manuscripta. 7. Farr.

## HERIMANNVS ET BERTILDIS.

**D**Eijs ita Sigebertus anno M.V. mortuo Othone Duce Ducatus Latharingiae datur Comiti Godefrido filio Godefridi Ardeuentis. Ille Dux Godefridus dictus est

2